



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Acta Sacri Generalis Lateranensis Concilii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

ANNO  
CHRISTI  
1512.

lii secretarius, ascenso ambone, legit literas serenissimi imperatoris ad pontificem.

Tenor literarum prædictarum sub datum vltima Februarii 1517.

Legitur schedula contra inuadentes domos cardinalium per reuerendum episcopum Militensem, quæ in aliquibus corrigitur propter diuersitatem opinionum.

Tenor schedulæ prædictæ correctæ, sub datum decima septima Kalendas Aprilis 1516.

Patriarcha Aquileiensis legit schedulam impositionis decimarum & absolutionis Concilii. Tenor autem schedulæ sub data prædicta.

Dantur vota ab omnibus fere super eadem schedula, exceptis reuerendis episcopis infra scriptis, qui varie dissentiunt: & procurator fiscalis petit omnium gestorum instrumenta. Deinde reuerendissimus dominus cardinalis Farnesius alta voce dicens, Domini, ite in pace, cantato hymno, Te Deum, &c. sanctissimus dominus noster omnibus comitantibus equitat ad palatium apostolicum, & sic duodecima & vltima sessio finitur, vnaque præsens Concilium soluitur: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, qui nos in pace custodiat. Amen.

ACTA  
SACRI GENERALIS LATERANENSIS  
CONCILII.

*Ad omnipotentis Dei gloriam, fidei catholicæ exaltationem, schismatis extirpationem, & in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.*

In his scriptis continentur ordinationes, statuta, constitutiones, decreta & alia acta & gesta in sacrosancto generali Lateranensi Concilio, præsidente sanctissimo in Christo patre & domino nostro, domino Iulio diuina prouidentia papa II. recollecta, & in publicam formam redacta per nos protonotarios, notarios & scribas infra scriptos, ad id per eundem sanctissimum dominum nostrum papam, ipso approbante Concilio, deputatos.

*In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.*

**A**NNO a natiuitate eiusdem 1512. indictione decimaquinta, die vero Lunæ tertia mensis Maii, qui fuit  
*Concil. Tom. 34.*

M ij



dies inuentionis sanctæ crucis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Iulii diuina prouidentia papæ II. anno nono, præfatus sanctissimus dominus noster papa, qui alias indixerat Concilium generale in alma Vrbe, in ecclesia Lateranensi, die Lunæ decimona mensis Aprilis præteriti inchoandum & celebrandum, & deinde propter certum conflictum habitum apud Rauennam ciuitatem Romandiolæ inter milites suæ sanctitatis & sanctæ Romanæ ecclesiæ & regis Catholici ex vna, & exercitum Ludouici regis Francorum & prætenfos schismaticos, adhærentes Conciliabulo Pisano, seu conuenticulæ satanæ, ex alia parte; in quo conflictu fuerunt interfecta multa hominum millia, & inter ceteros dominus de Fuffo magnus magister capitaneus regis Franciæ, & plures alii diuersi duces & barones & proceres Gallorum & Hispanorum, & capti reuerendissimus dominus Ioannes cardinalis de \* Medicis apostolice sedis legatus, & Fabricius Columna, & alii plures, & dicta ciuitas ecclesiæ miserabiliter a Gallis direpta; inchoationem huiusmodi vsque ad Kalendas Maii eiusdem anni prorogauit, & demum ex eadem causâ ad supradictum diem Lunæ tertium supradicti mensis Maii iterum prorogauit, prout in literis apostolicis, quarum tenores infra acta primæ sessionis inferuntur, plenius continetur.

\* Medi-  
cibus

Volens idem sanctissimus dominus noster, dominus Iulius II. pontifex maximus inchoare dictum Concilium generale ex pluribus & variis, grauissimis & vrgentissimis causis, statum vniuersalis ecclesiæ & apostolicæ sedis, ac perniciosissimi schismatis extinctionem concernentibus, vt in literis indictionis Concilii latius continetur, indictum, cum die præcedenti ex palatio apostolico lectica vectus ob sui corporis indispositionem in pontificali apparatu & comitiua omnium reuerendissimorum dominorum cardinalium, patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, episcoporum, protonotariorum, abbatum, & vniuersa curia & custodia militum Rhodianorum cruce signatorum, & consuetis ceremoniis, vt moris est, in dictæ basilicæ Lateranensis ædibus diuertisset & hospirasset & pernoctasset, constitutus di-



ANNO  
CHRISTI  
1512.

Et tertia die de mane in præfata basilica Lateranensi, celebrata prius in maiori altari Missa per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Raphaelem episcopum Ostiensem, cardinalem sancti Georgii vulgariter nuncupatum, sanctæ Romanæ ecclesiæ camerarium, & collegii sacri cardinalium decanum, ac facto sermone Latino per reuerendum patrem & magistrum fratrem Ægidium de Viterbio, sacre theologiæ professorem, ac ordinis Eremitarum sancti Augustini priorem generalem, ac verbi Dei prædicatorem celeberrimum, cuius tenor in fine præsentis actus & solennitatis initii sacri Lateranensis Concilii ponetur. Facta etiam prius processione per eundem sanctissimum dominum nostrum, reuerendissimos cardinales, patriarchas, archiepiscopos & episcopos ac abbates, nec non alios viros, qui de iure seu consuetudine ad Concilium generale venire consueuerunt, intrauerunt ornati pluuiialibus, planetis, & dalmaticis iuxta ordinis qualitatem, & mitris, locum in medio prædictæ Lateranensis ecclesiæ pro celebratione Concilii huiusmodi paratum, cum suis subselliis, tabulatis, clausuris, altaribus, pontificali cathedra, ornamentis & ordinibus, quæ in huiusmodi sacrorum Conciliorum celebrationibus seruari & fieri consueuisse reperiuntur. In quo cantatis litanis & aliis deuotis orationibus, & hymno, Veni creator Spiritus, &c. de more in principio celebrationis Conciliorum a sanctis patribus & sancta Romana ecclesia legi & decantari solitis & consuetis, capella cantorum incipiente, *Saluum me fac* psal. 68.  
*Deus, quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam.* &c. & inuocata Spiritus sancti gratia, ac exhibita per omnes cardinales & prælatos præfatos sanctissimo domino nostro obedientia & reuerentia consueta in paramentis ordinate & conuenienter, cantatoque euangelio per reuerendissimum in Christo patrem dominum Ludouicum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem de Aragonia vulgariter nuncupatum, incipiente, *Designauit Dominus &* Luc. 10.  
*alios septuagintaduo*, &c. reuerendissimus in Christo pater dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis de Farnesio vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti, vbi dictus dominus noster papa sedebat, legit schedulam tenoris infra scripti, nomine suæ sanctitatis, pro-



pter indispositionem sui corporis impediti, videlicet.

Indicto per nos hoc sacro Lateranensi Concilio, de quo, cum in minoribus essemus, saepenumero cogitauimus, & ad summi apostolatus apicem vocati, omnino nobis celebrandum proposuimus, dum ante ipsius inchoationem bella inter Christianos vigentia sedare, & oues perditas ad ouile dominicum reducere intendimus, repente intestina haeresis, insidiante satana bonorum operum perturbatore, domum Dei, quam decet sanctitudo, inuasit. Ne igitur contagiosa pestis latius serperet, & Christi gregem nobis commissum sensim inficeret, pastoralis officio iugiter inuigilantes, vocemque Isaiae animo repetentes: *Ini consilium, coge concilium*: diutius cunctandum fore non duximus. Conuenimus itaque, venerabiles fratres, vosque dilecti filii, hodierna solenni die in hac Lateranensi basilica, vt in Spiritu sancto congregati viam veritatis eligamus, & abiicientes opera tenebrarum, induamur arma lucis. Vos igitur hortamur in Domino, vt illum praeculis habentes, qui est via, veritas & vita, in medium libere consulatis, Deo magis quam hominibus placere studentes. Speramus enim Domino cooperante in hac sacra Lateranensi Synodo sentes ac vepres ab agro Domini penitus extirpare, deprauatos mores ad meliorem frugem redigere, pacem inter Christianos principes componere, denique expeditionem aduersus hostes fidei inter se dissidentes decernere, vt in hoc vexillo salutiferae crucis, quae huic sacro Concilio auspiciatissimum dedit initium, antiqui hostis insidias superare valeamus.

Qua lecta, sanctissimus dominus noster, approbante sacro Concilio, Concilium sacrum Lateranense inchoare decreuit, & declarauit primam sessionem incipere die decima Maii futura, quae erat dies Lunae proxime ventura.

*Iacobus Sadoletus Petro Bembo salutem plurimam dicit.*

**H**ABES, Bembe, orationem Aegidii Viterbiensis, quam tanta ope expetiisti, dignam illam quidem propter elegantiam quae ab iis potissimum legatur, qui iudicare aliquid de praestantibus ingeniis possunt; sed & aliis quoque commendationibus praeluentem, tum quod magna auctoritate Lateranensis principia Concilii auspiciata est,



ANNO  
CHRISTI  
1512.

quod a Iulio II. pontifice maximo paulo ante institutum, sanctæ Christianæ reipublicæ optamus fore salutare: tum quod ab eo viro est, quem ego & tu sæpe soliti sumus in sermonibus nostris clarissimum huius sæculi tamquam obscurascentis lumen appellare. Et quidem quæ in communibus hominum sensibus posita sunt, ea nemo est qui in Ægidio summa esse non agnoscat. Sumus enim experti pluries illam huius viri mulcentem omnium aures atque animos eximiam eloquentiam, vernacula quidem lingua Etruscorum, quæ illi patria est, abundantem, sed ex vberissimis & Græcæ & Latinæ eruditionis fontibus deductam. Magno enim hic studio theologiæ ac philosophiæ altissimis artibus comites literas politiores adiunxit. Ergo illa in sacris concionibus diuina semper & admiranda, flectere arbitrio suo hominum mentes, refrenare incitatas, languentes accendere, vel inflammare potius ad virtutis, iustitiæ, temperantiæ studium, summi Dei venerationem, sanctæ religionis obseruantiam, nouit. Nec vero quidquam interfuit, illo dicente, inter doctos homines & idiotas: non senex ab adolescente, vir a muliere, non princeps ab infimo homine potuit dignosci: sed omnes pariter vidimus præcipites ferri impetu animos audientium, quocumque eos oratori impellere libuisset. Tanta vis orationis, tantum flumen lectissimorum verborum, pondus optimarum sententiarum ex eo ferebatur. Ex quo, quod semper euenire cernimus, iam plane intelligimus necessitate euenire, non casu, vt quotiescumque dicturus est, concursus maximi omnibus ex locis audiendi causa fiant. Sed nos hæc popularia cum multis, illa secretiota cum paucis cognoscimus. Soleo enim mirari te, Bembe, vehementerque probare iudicium tuum, cum ita dicas: Humanitatem ipsam, & eas artes quæ humanitatis propriæ & affines sunt, si malo hominum fato amissæ intereant, ab hoc vno homine exprimi & repræsentari posse, nec adumbrata in eo simulacra, sed totam effigiem virtutis agnosci. Quod vero addis, grandiolem tibi etiam in cubiculo videri Ægidium quam in pulpito, vbi certe est maximus, facile tibi assentior. Sed hæc alias. Nunc orationem leges, de qua testatum esse apud omnes volo, quicumque eam in manus sument, redempturos eos non Hectorem, sed Hectoris corpus:



vix vocis

quod ipsum tamen tanti precii est, ut iure optimo rependi auro queat. Certe non aderit calor ille & vis in dicendo oratoria, spiritusque *ζῶσις*, ut aiunt, *φωρῆς*, quo tantum potuit Ægidius, ut omnium adstantium animos primum suavissime demulserit, deinde ad extremum vehementissime commouerit. Verum quid opus hæc ad te scribere, qui amore quidem & benevolentia erga Ægidium mihi par, iudicio omnibus antecellis? Ego, quod egi, ut elucubratio optimi & religiosissimi viri non lateret in tenebris suppressa, sed in populum exiret, spero me bonis omnibus gratum fecisse: tibi quidem certe scio. Vale.

*Oratio prima Synodi Lateranensis, habita per Ægidium Viterbiensem, Augustiniani ordinis generalem.*

**N**EMINEM hoc loco non mirari existimo, cum tot in Vrbe viri sint grauius copioseque dicendi facultate clarissimi, cur ipse vnus qui cum luminibus his nulla sim ratione comparandus, & pro rostris appaream, & in tanta præsertim re, tantoque confesso, quo spectatius sacratiusque nihil habet terrarum orbis, audeam verba facere. Dicam sane aliquid intercessisse, quamobrem ego non virtute vlla aliis præpositus, sed quadam superiorum tum temporum, tum actionum ratione, & tamquam a causa ipsa inuitatus videar, qui primus hoc conflictu telum iaciam, & sacrosancti Lateranensis Concilii auspicia capiam. Nam cum annis abhinc circiter viginti, quantum in me fuit, & per exigua vires tulere, euangelia populis interpretatus sim, prophetarum vaticinia aperuerim, Ioannis Apocalypsim de successu ecclesie, vniuersæ ferme Italiae enarrauerim, ac sæpenumero affirmauerim, eos qui tunc audiebant, ingentes ecclesie & agitationes & clades visuros, illiusque emendationem aliquando conspecturos: nunc par esse visum est, ut qui hæc dixerat ventura, idem venisse testetur: & qui toties exclamauerat, Videbunt oculi mei salutaria tempora; iam tandem exclamet: Viderunt oculi mei salutare sanctumque principium expectatæ instaurationis. Modo adsis, orbis instaurator, diuini parentis proles, seruator sospitatorque mortalium: desque vim mihi dicendi, orationi commouendi, patribus non verbis, sed ipsa re, veri, sancti, exacti Concilii celebrandi, extirpandi vitia, virtutes



ANNO  
CHRISTI  
1512.

tutes excitandi, vulpes quæ ad sanctam demoliendam vineam hac tēpestate scatent, capiendi: ac denique collapsam religionem in veterem puritatem, in antiquam lucem, in natium splendorē, atque in suos fontes reuocandi. Dicam itaque de Synodo, & quam ecclesiæ commoda semper sit, & quam nostris temporibus necessaria: præfatus, oraculorum stylum me inuertere non ausurum esse, sed integra, vt legi solent, verba atque orationes vsurpaturum: tum quod homines per sacra immutari fas est, non sacra per homines: tum quod ἀπλὸς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἐστίν, simplex sermo veritatis est. Atque a principio partitio illa in mentem venit, rerum alias diuinas esse, cælestes alias, alias humanas. Diuinæ quippe, quod sunt motus ac mutationis expertes, emendatione non egent: cælestes vero atque humanæ, agitationi obnoxia, instaurationem desiderant. Nam luna cum ad solis commercia venerit, sol cum a cancro in brumam descenderit, quasi magno mortalium dispendio, damna ab integro reponunt; cogunturque, præscribente natura, lucis iacturam rependere, & quidquid cadendo abstulerint, ascendendo mortalibus restituere. Quod si cælestia siderum itinera, quamquam perpetua, immortalia, sempiterna, redeunt tamen, restituunturque, quidnam tertium hoc faciet rerum genus, vtpote fluxum, caducum, mortale? Profecto, aut interitu cito pereat necesse est, aut continua innouatione reficiatur. Quod enim est cibus corporibus, vt viuant; quod genitura generibus, vt perpetua sint; id præstat humanis animis sua pro tempore emendatio, cultura, disciplina: quamque absque ciborum alimentis animantia diu viuere, tam humanæ animæ, tam ecclesia absque cura Synodorum probe agere non potest. Ac quemadmodum si pratis imbres, si hortulis riuos, si agris cultum, si vineis putationem, si denique viuentibus alimenta subduxeris, illa arefcēt breui, filuescentque, hæc viuere desinent atque emorientur: ita ferme post Constantini tempora, quæ vt sacris rebus multum adiecere splendoris & ornamenti, ita morum & vitæ feueritatem non parum eneruarunt; quoties a Synodis habendis cessatum est, toties vidimus diuinā sponsam a sponso derelictam, illudque euangelii factum, quod heri recitabatur: *Iam modicum, & non videbitis me.* Vidimus Christi in nauicula obdormientem, vidimus ventorum

Ioan. 16.



Cant. 8.

Cant. 2.

Ioan. 16.

Hebr. 11.

Psal. 86.

rabiem, hæreticorum furorem in candida veritatis vela irruentem. Vidimus malas cupiditates, diram auri atque habendi sitim. Vidimus perditam malorum audaciam aduersus iura, auctoritatem, maiestatem ecclesiæ fauentem. Vidimus, inquam, vim, rapinas, adulteria, incestus, omnem denique scelerum pestem ita sacra profanaque miscere omnia, ita in sanctam nauiculam impetum facere, vt pene scelerum fluctibus illa latus dederit, ac prope merfa & pessumdada sit. Rursus cum eo monente spiritu, cui hodie supplicationes decretæ sunt, patres ad Synodum confugerunt, quamprimū emendauere composuereque omnia, ventis, turbinibusque imperauere, & quasi in tutissimum portum delati, impetum rationi, iniuriam iustitiæ, vitia virtuti, tempestates ac fluctus serenitati tranquillitati que cedere compulerunt, hymnumque cecinerunt sancto Spiritui, piscatorum, maris atque aquarum Deo: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* & illud: *Iam hiems transit, imber abiit & recessit: surge amica mea.* Iacet enim sponfa, vt hieme frondes arborum: surgit reuifcitque Synodorum studio, vt filuæ veris tempore reuocato sole frondescunt: ad Solis redeuntis radios & fecundi spirant Zephyri, & læta plantaria germinant: ad Synodorum lumen & diuini spiritus flant auræ, & emortui ecclesiæ oculi reuiuifcunt ac recipiunt lucem, vbi pars altera impletur oraculi: *Iterum modicum, & videbitis me.* Quod quidem nihil aliud sibi vult, nisi quod sancti Spiritus lux, quæ Synodis omiffis extinguitur, tamquam excussus e silice nouus ignis, iterum accenditur & recuperatur in Synodis. Ad hæc Paulus apostolorum decus, cum salutis caput ostenderet, *Absque fide,* inquit, *Deo placere nullo modo possumus.* Atqui sine Synodis stare non potest fides: absque Synodis igitur salui esse non possumus. Verum quod ratione dicimus, vt etiam experimento probemus, cogitandum nobis est, tres esse credendarum rerum radices, e quibus vniuersa ecclesiæ fides manat. Prima diuinæ naturæ vnitas est. Altera, eadem in natura parentis, sobolis, amoris felicissima Trinitas. Tertia, in Virginis vtero prolis diuinæ conceptio. In quibus veluti in altissimis apicibus ac sanctissimis montibus, & reliquæ fidei partes nouem, & pietas vniuersa fundata est. *Fundamenta enim eius in montibus sanctis.* Vnitas nempe mons Dei



ANNO  
CHRISTI  
1512.

nuncupatur, quod in vna dumtaxat Dei essentia fit atque natura: & vt vnitatem illam non solitariam, non sterilem, sed vberissima fecunditate præditam cogitemus, ideo mons pinguis adiicitur. Corpus vero in virgine Verbo iunctum, montem coagulatum vocat vates. Hæc itaque tripartita illa vinea est, super vertices montium sita, quam & futuram cecinere oracula, & præsentem euangelia indicaue-  
re. Sed iam perierat vinea: nam, vt testis est Dauid, illam aper e silua depopulatus erat, illam tumor philosophiæ vastauerat. Arius primum montem auellere conatus est, qui vnitatem \* disperfit: Sabellius secundum, qui personas confudit: Photinus tertium, qui partum virgineum impura temeritate labefactauit. Tres veluti impiissimi gigantes qui gloriæ cupiditate de rerum nouarum studio illecti, montes loco mouere ausi sunt, vt viam sibi facerent ad cælum oppugnandum rescindendumque. Et erant iam voti compotes: nam quæ ipsi philosophia persuadebant, armis ea recipi principes imperabant. Philosophia nos argumentis vrgebat, arma collatis signis oppugnabant. Illa præstigiis, hæc vi fidem euertere conabantur. Illa inuertere quæ credebantur, hæc eos qui credebant, perdere contende-  
bant. Illa in pietatem & animas, hæc in corpora vitamque sauebant. Quid faceret diuina sponsa iam iam peritura? quo se verteret? quo confugeret? cuius fidem, cuius opem, cuius auxilium imploraret? Exhorrescebat tempestas, nauicula mergebatur. Denique ne multum morer, nulla effugiendi, nulla euadendi inuenta via est, nisi Nicæna Synodus, vbi Siluestro ad clauum sedenti, & iam iam naufragium facienti, e cælo sese ostendens Deus, *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* Ac statim diuinis fulminibus & fidei montes restituit, & gigantum temeritatem disiecit: vbi erepta puella experimento didicit, cum quidquam sibi aduersi imminere videat, nullum omnino præsidium ad se vel tuendam firmius, vel liberandam accommodatius, vel vindicandam efficacius habere, quam Synodum, qua sola fit, vt nulla aqua ecclesiæ caritatem extinguant, vtque diuinus spiritus in nostris animis mansionem efficiat, qui vnicus, velut aquarum victor, tempestatumque potens, teste Mose, fertur super aquas. Iam vero quod de fide dixi, quæ vtique nulla esset, si Synodi institutio non

*Psal. 67.  
Isa. 5.  
Ier. 8.  
Matth. 20.  
& 21.*

*Psal. 79.*

*Matth. 14.*

*Gen. 1.*

*Concil. Tom. 34.*

N ij

\* disce-  
pfit:



fuiſſet; idem ferme de temperantia, iuſtitia, ſapientia, ce-  
terisq̄ue virtutibus exiſtimari velim. Omnes enim deſi-  
diam pro labore, otium pro negotio, voluptatem pro ſo-  
licitudine expetimus. Verum cum animaduertimus, quan-  
doque fore, quod in Synodis fit, vt cenſus habeatur, vt mo-  
rum & vitæ exploretur ratio, vt improbi deprehendantur,  
iudicentur, plectantur; contra probi alliciantur, foueantur,  
attollantur; incredibiles ſtimuli appetendæ virtutis iniiciun-  
tur, vt homines colligant ſeſe, vt meliora deliberent, vt ad  
vitia relinquenda & ad virtutem capeſſendam accendan-  
tur, nihilque non honeſtum, nihil non magnificum molian-  
tur. Illud, illud Synodi diſcerniculum fuit, vnde veluti ex  
equo Troiano tot clariffima ingeniorum lumina emicue-  
re. Illa virtutum approbatio, illa deteſtatio vitiorum, Baſi-  
lios, Chryſoſtomos, Damascenos Græciæ, Hieronymos,  
Ambroſios, Auguſtinos, Gregorios Italiae peperit: qui cum  
magna ſimilium turba, bone Deus, quos libros, quæ ſcri-  
pta, quæ monumenta, quod doctrinarum, quod diſciplina-  
rum, quod diuini vel auri vel argenti genus in Chriſtianum  
ararium non congeſſerunt? Rem prætereò, niſi tempus  
obſiſteret, minime prætereundam, de eccleſiarum rectori-  
bus, de paſtoribus populorū, in quibus quidem vniuerſa rei  
Chriſtianae ſita eſt & ſumma & ſalus. Vt enim inferior hic  
mundus cæli tum motu, tum lumine regitur; ita Chriſtia-  
nae gentes a rectoribus ſuis, velut a cæleſtibus paſtoribus  
gubernantur: qui, ſi boni futuri ſint, neceſſe eſt vt & lumi-  
ne diſciplinæ fulgentes, alios doceant, & motum ſan-  
ctarum actionum exercentes, quæ docuerint, ipſi in primis  
& maxime agendo præeant. Hæc duo illa ſunt, quæ & do-  
cuit paſtorum princeps Chriſtus, cum & lucernas ardentes  
geſtare ad clare inſtituendum, & ad ſanctè agendum præ-  
cinctos eſſe iuſſit, ſimul ipſe mirifice exercuit, cum & lux  
mundi, & diuini Patris ſapientia fuerit, & ſanctus ſanctorū  
appellatus ſit, quod probos omnes vitæ ſanctimonia ante-  
ceſſerit: atque eas ob res, *Ego*, inquit, *ſum paſtor bonus*. Quod  
vero ob vtrumque bonum ſe dixerit, teſtatur euangelista,  
qui cœpiſſe eum ſcribit tum facere, tum docere. Quin &  
duodecim illi duces, qui ſuper omnem terram conſtituti  
ſunt principes, Spiritus afflatis numine, completique, ita v-  
tramque cæli vim ſunt aſſecuti, vt etiam cæli appellatio-

Luc. 12.

Ioan. 10.

Act. 1.

Pſal. 44.



ANNO  
CHRISTI  
1512.

nem promeruerint, vt vulgatissimum iactatur oraculum:  
*Cæli enarrant gloriam Dei.* Quo monemur, eorum recto-  
rum celebrandam esse gloriam, qui cæli tum lucem sapien-  
tia, tum conuersiones sanctimonia imitati consecutique  
sint. Huius itaque rei, quæ omnium longe maxima est,  
quanta cura Synodis fuerit, historia memorat. Nam qui  
præstanti doctrinæ sanctum vitæ institutum adiunxerint,  
a Synodorum patribus ex vniuerso terrarum orbe con-  
quisiti, euecti, exornatique sunt, summa cum eligentium  
laude, ecclesiarum fructu, commodo, lætitia, plausu  
populorum. Quid illud omnium grauissimum ac pericu-  
losissimum loquar, quod nemo tempestate nostra non  
deplorat? iniurias principum dico, legionum insolentiam,  
armatorum minas. Quid enim miserius vel audiri  
vel cogitari potest, quam vt cæli terrarumque regina  
ecclesia aut vi seruire, aut manus dare, aut grassantium  
tela pertimescere cogatur? Quæ quidem pestis adeo ser-  
pit hoc tempore, adeo insurgit, adeo inualefcit, vt om-  
nis illa ecclesiæ auctoritas, atque a Deo tradita libertas,  
euerfa, profligata & plane extincta esse videatur. Quam-  
obrem caue, Iuli secunde pontifex maxime, caue cre-  
das vllum mortalium quidquam melius salubriusve co-  
gitasse vnquam, quam ipse, Spiritu sancto monente, co-  
gitaueris in Synodo instituenda, cuius quidem nulli re-  
ges, nulli principes possunt vel decreta contemnere,  
vel iussa negligere, vel auctoritatem detrectare. Si qui  
enim forte pontificem ipsum per se inermem paruipen-  
dere ausi sunt, Synodi auctoritate, principumque & na-  
tionum consensu ac studiis instructum metuere ac ve-  
reri consueuerunt. Nam si Synodorum res gestas repe-  
tamus, nihil illis potentius, nihil maius, nihil munitius  
esse intelligemus. Synodo namque in Ioannem Hispanum  
& Alphonsum Lusitanum, Rodolphum imperatorem de-  
signat Gregorius X. Synodo Martinus IV. in Petrum A-  
ragonensem animaduertit. Synodo VIII. Bonifacius in  
Philippum regem decernit. Synodo & olim Gregorius  
alter, & patrum memoria Eugenius Græcam ecclesiam  
Latinæ coniungit. Synodo in Fridericum imperatorem  
agit & IV. Innocentius, & Gregorius VIII. Quin in  
hac eadem æde omnium principe, & quæ vincere sem-



per hostes solita est, vinci nunquam, non nisi Synodo & II. Innocentius aduersarios deiecit, & III. Alexander Victorem sociosque superauit: & III. Innocentius Othonem imperio submouit, & Martinus V. hostilia tyrannorum arma dissipauit. Et ne omnia persequare, quidquid laude, quidquid gloria dignum a Melchiadis ætate in ecclesia gestum est, aut ad hostem arcendum, aut ad rempublicam componendam, id omne de Synodis originem sumpsit, & proinde Synodis referendum acceptum est. Quid enim aliud sancta Synodus est, nisi malorum metus, proborum spes, errorum eiectionio, seges & restitutio virtutum, qua dæmonum fallacia vincitur, sensus illecebræ auferuntur, ratio amissam arcem recipit, terris e cælo iustitia restituitur? Redit siquidem ad mortales Deus. Nam si dixerat: *Vbi duo vel tres meo nomine conuenerint, ad eos venio, interque eos sum*: quanto huc libentius se conferet, quo non duo tantum, vel tres, sed tot ecclesiæ capita proficiscuntur? Nam si angelos Ioannes appellat ecclesiarum pastores, quid est quod vel votis petere, vel precibus a Deo consequi non possit tanta simul frequentia angelorum? Hic Eua ab exilio reuocatur, hic serpentis caput talo premitur puellæ sanctioris: Abraham educitur e Chaldæorum terris, Agar ancilla obtemperat dominæ: fœdus cum Deo rursus feritur, animorum circumcisio introducitur. Hic scalam figens patriarcharum pater, in cælum aditum pandit, Deo iungitur in palæstræ ludo, & a videndo Deo accipit nomen. Hic populi velut in solitudine fame oppressi, diuinitus suppetias impetrant, cæli angelorumque panem recipiunt, & suauitate vescuntur cælestium epularum. Hic cum hominum pectora tamquam faxea euaserint, Mosis virga percussa, aquarum fontes effundunt. Hic thesaurus in agro abditus effoditur, margarita emittitur, lampades accenduntur, semen in bonam feritur terram, sinapis granum surgit in arborem, & feraci oleæ oleaster inseritur. O beata itaque illa tempora, quæ Synodos susceperunt! hæc stulta, si non agnouerint: misera, si non admiserint. Et quoniam vetera Synodorum commoda strictim attigimus, nunc quam breuissime nostra delibemus. Appello ergo te, Iuli II. pontifex maxime, summus ille te appellat

Matth. 18.

Apoc. 2. & 3.

Genes. 13.

Genes. 12.

Genes. 15.

Genes. 17.

Genes. 28.

Psal. 77.

Num. 20.

Matth. 13.

Ibidem.

Matth. 25.

Marc. 4.

Matth. 13.

Rom. 11.



ANNO  
CHRISTI  
1512.

Deus, qui suam te gerere in terris vicem voluit, qui e tanto iam pridem senatu te vnum delegit, qui nonum vsque in annum ecclesie sue te sponsum defendit, qui & bonam cogitando mentem, & magnam agendo facultatem dedit, quantam nulli maiorum vnquam prestitit; vt scilicet pradones abigeres, vias purgares, seditiones tollereres, domi templum omnium qua vsquam visa sunt, magnificentissimum excitates: militia, quod nemo antehac potuit, ecclesie arma magnis regibus metuenda faceres, vt denique imperium propagares, vt Ariminum, Fauentiam, Rauennam, & alia permulta recuperares. Quae etsi eripere tibi hostis potest, quin tamen primus pontificum hac omnia gesseris, efficere non potest. Magnorum enim principum virtus non ex casu aut ex euentu, sed ex consiliis actionibusque censenda est. Nunc rebus gestis hac duo deerant, vt Synodum vocares, & communi Christianorum hosti bellum indiceres, & qua ab initio semper cogitasti, spondidisti, decreuisti, iam Deo, iam Christiano gregi, iam tuae praestes tum pietati, tum fidei. Ac scias, te bonos omnes in magnam spem erexisse, quippe qui bellorum & malorum temporum iniuria ad hac differenda coactus quidem fueris, ad negligenda vero & deserenda non minis, non telis, non cladibus adduci potueris, quin animum ea constantia firmaueris, vt ii fluctus, ha aquae quamquam multae, firmam tamen caritatem tuam extinguere non potuerint. Ille itaque idem Deus, qui praeter hac omnia qua ad animum excitandum enumeravi, immortalia beneficia, his superioribus annis tum Bononiae, tum Romae, cum etiam intra ades tuas extinctus habereris, in vitam reuocauit, & ad hac maxima opera gerenda reseruauit, vt & ipse Deus extincto pontifici manifestissimo miraculo, & pontifex extinctae ecclesie sanctissima Synodo vitam restitueret, atque vna cum reuiuifcente pontifice etiam ecclesia moribus reuiuifceret. Ille, inquam, Deus petit mandatque, vt duo illa animo volutes, cures, peragas, & quemadmodum propheta iubet, destruas, euellas, eruas errores, luxum, vitia: instituas, aedifices, plantes moderationem, virtutem, sancti- Jerem. 1. moniam. Ad hac vero agenda, cum alia permulta, tum praecipue amissus exercitus excitare nos debet: quod equi-



*Ephes. 6.**Rom. 13.**Exod. 17.**Ibidem.**Ibidem.**Ibidem.**Exod. 17.*

dem putem diuina prouidentia factum, quo armis ecclesie alienis freti cederemus, vt ad nostra redeuntes, victores euaderemus. Nostra autem arma sunt pietas, religio, probitas, supplicationes, vota, lorica fidei, atque arma lucis, vt Apostoli verbis vtar. Ad quæ si Synodi opera redibimus, vt armis non nostris inferiores aliquo hoste fuimus, ita nostris erimus omni hoste superiores. Veniat, quæso, in mentem Mosis bellum, quod aduersus Amalec regem gessit. Videbis populum Deo carum, gladiis fidentem, vinci semper: contra, semper vincere precibus supplicentem. Iosue exercitum in prælium ducebat, Aaron sacerdos cum Hur ac Mose montem ascendebant. Illi armato corpore ferebantur in hostem, hi Deum purgato animo precabantur: illi ensibus, hi votis agebant: illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus vtraque arma, militiae scilicet ac religionis. Sed iam quæ nostra sint, Deo rem ostendente, cognoscamus. Dum Moyses, inquit, manus attollebat, noster vincebat exercitus: dum manus remittebat, exercitus inclinabat. Ac ne casu id factum suspicemur, in calce sermonis illius scribitur, aduersus Amalec, hoc est in ecclesie hostem, Dei manum ac bellum esse in generatione & generationem. Quibus quidem verbis monet Deus, vtramque generationem atque vtramque ecclesiam & Mosis & Christi, militiae armis vinci, pietatis studio vincere: superari telis decertando, sacra faciendo superare. Freta initio suis armis ecclesia Africanam cepit, Europam obtinuit, Asiam occupauit, non vi, non bello, non ferro, sed religionis actionibus & sanctitatis opinione per vniuersum orbem Christiana signa circumtulit. At vbi sponsa quæ tunc vndique vocabatur, accersebatur, expetebatur in vestitu deaurato, aureum paludamentum ardentis spiritus ferreis Aiakis infani armis commutauit, imperium, duodecim ducum partum sanguine, amisit, Asiam & Ierusalem perdidit, Africanam Ægyptumque relinquere coacta est, Europæ cum Byzantino imperio & Græcia, bonam eripi sibi partem vidit. Vox Dei est, dicentis, lassis Mosis manibus, votis, precibusque cessantibus, Iosue vinci, vincere Amalec: ita & nos vidimus, cum religio vota ferro commutauit, toto fere orbe pulsam, eiectam, explosam ecclesiam, aucto in

immen-



ANNO  
CHRISTI  
1512.

immensum Mahumete, qui, nisi ferro relicto, rursus in pietatis sinum ad aras & Dei puluinaria redeamus, crescet in dies magis, subiget imperio omnia, orbem vniuersum nostræ impietatis vltor impiissimus occupabit. Video, video, nisi vel hoc Concilio, vel alia ratione nostris moribus modum imponamus, nisi nostram humanarum rerum cupiditatem, malorum fontem, cedere diuinarum amoru compellamus, actum de republica esse Christiana, actum de religione, actum de pietate, actum etiam de iis ipsis opibus, quas patres diuino cultu aucto peperere, nos contra, neglecto, amissuri sumus. Ex enim ita ex extrema pauperie peruenere ad summum, vt non ita multo post interitura esse videantur: ac nisi receptui canamus, nisi rationibus nostris consulamus, infula illa ditissima, cuius ad ornanda sacerdotis tempora vsus fuit, vix ad operienda inueniatur. Audite diuinas voces vndique sonantes, vndique Synodum, pacem, sanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim vita nostra mollior? quando ambitio petulantior? quando cupiditas inflammator? quando peccandi licentia impudentior? quando audacia aduersus pietatem loquendi, disputandi, scribendi, aut frequentior, aut securior fuit? Quando in populis rerum sacrarum, quando sacramentorum, quando & clauium & sanctorum præceptorum non modo negligentia, sed & contemptus maior? Quando apertius religio & fides nostra ludibrio vel tenui plebeculæ fuit? Quando, pro dolor, schisma in ecclesia perniciosius? quando bellum periculosius? quando hostis potentior? quando exercitus truculentior? quando obiter monstra, portenta, prodigia tum cæli minitantis, tum terræ expauescentis, aut crebriora, aut horribiliora apparuere? Quando (heu fletus me impedit) cædes, quando clades, aut post Brixiana, vel postea Rauennate cruentior? quando, inquam, vllus inter infaustos dies, quam sanctissima illa resurgentis Christi lux, aut luctuosior, aut calamitosior illuxit? Quæ quidem omnia, nisi ferrei simus, quidnam aliud, quam cælitus missæ voces sunt? Voces namque Dei, vt Proclus ait, facta sunt, de quo vno aiunt oracula, quod, *Dixit Psalm. 148.* & facta sunt. Et in arcanis Hebræorum legimus, decem dictis quæ in Genesi leguntur, orbem vniuersum esse *Genes. 1.*

Concil. Tom. 34.

○



Luc. 22.

conditum. Voces igitur sunt, quæ fieri cernimus, voces monentis Dei ac præcipientis vt Synodum habeas, vt ecclesiam emendes, vt vtriusque hominis bellum tollas, vt sponsæ tuæ vndique laceffitæ pacem vtramque restituas, vt gladios auertas vrbis & Italiae iugulis imminentes, vt nostram frenes viuendi licentiam, ecclesiæ viscera maioribus vulneribus ferientem. Non enim multi refert, quantum agri possideamus, sed quam iusti, quam pii, quam diuinarum rerum studiosi simus: vt denique post tot mala, tot incommoda, tot calamitates, principem Christum audias, Petro posterisque Synodum ostendentem, vt vnicam omnium malorum medicinam, singularem periclitantis nauiculæ portum, solam reipublicæ confirmandæ rationem. Tu, inquit, Petre, aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Audis Petre? audis Paule? Auditis augustissima semper capita, tutela ac præsidium vrbis Romæ? Auditis, in quem malorum cumulum ecclesia vestro fundata sanguine deducta sit? Videtis acies vtrimque profligatas, videtis cædes? videtis clades? videtis campos occisorum aceruis opertos? Videtis terram hoc anno plus cruoris hausisse, quam pluuia; minus imbrium bibisse quam sanguinis? Videtis tantum occubuisse Christiani roboris, quantum fuerat ad fidei hostem debellandum satis? nihil nobis nisi exitium, nihil nisi interitum superesse? Ferte opem, iuuate, succurrite, & quam de Iudæorum & tyrannorum faucibus eruistis ecclesiam, nunc domesticis cladibus occumbentem erigite. Orat populus, viri, feminæque, omnis ætas, omnis sexus, omnis orbis: rogant patres, obsecrat senatus, obtestatur ipse denique supplex pontifex, vt se, vt ecclesiam, vt urbem Romam, hæc templa, has aras, hæc sacra, hæc vestra ipsorum capita seruetis, ac Synodum Lateranensem, hodie ante ora vestra a Iulio II. pontifice maximo indictam, (quod faustum, felix fortunatumque sit nobis, ecclesiæ vestræ, totique reipublicæ Christianæ) in orbis terræ certissimam salutem sancti Spiritus numine firmetis; curetisque & pacari Christianos principes, & in publicum Christi hostem Mahumetem nostrorum regum arma conuertiti, atque his fluctibus, his tempestatibus, his aquis, non modo non extinguere ecclesiæ caritatem, sed almæ crucis



ANNO  
CHRISTI  
1512.

meritis, & diuini spiritus ductu, quibus iunctim hodie sacra fiunt, abluui potius ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum splendorem munditiamque restitui.

*Dixi.*

Habita fuit oratio in æde Lateranensi quinto Nonas Maias 1512.

**SESSIO I.**

**D**IE Lunæ decima mensis Maii, anno, indictione & pontificatu, de quibus supra, congregata fuit sacra & vniuersalis Synodus in basilica Lateranensi, præfidente præfato sanctissimo domino nostro Iulio, celebrata Missa de Spiritu sancto per reuerendissimum in Christo patrem dominum Dominicum episcopum Portuensẽ, cardinalem Grimanum, seu sancti Marci vulgariter nuncupatum: habitus sermo per reuerendum patrem dominum Bernardinum archiepiscopum Spalatensem. Interfuere infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, magistri generales ordinum, oratores principum, & alii illustrissimi domini, videlicet:

*Episcopi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.  
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.  
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.  
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

*Presbyteri cardinales.*

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigoniensis.  
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Flisco.  
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasiæ, Nannensis.  
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Praxedis, Anglicus.  
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, Sipontinus.  
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii Anconitanus.  
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononiensis.  
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ, de Saulis.

*Concil. Tom. 34.*

O ij